

De laude novae militiae

Prologus

Hugoni, militi Christi et magistro militiae Christi, Bernardus Claraevallis solo nomine abbas: *bonum certamen certare.*

Semel, et secundo, et tertio, nisi fallor, petisti a me, Hugo carissime, ut tibi tuisque commilitonibus scriberem exhortationis sermonem, et adversus hostilem tyrannidem, quia lanceam non liceret, stilum vibrarem, asserens vobis non parum fore adiutorii, si quos armis non possum, litteris animarem.

Distuli sane aliquamdiu, non quod contemnenda videretur petitio, sed ne levis praecepsque culparetur assensio, si quod melius melior implere sufficeret, praesumerem imperitus, et res admodum necessaria per me minus forte commoda redderetur. Verum videns me longa satis huiusmodi exspectatione frustratum, ne iam magis nolle quam non posse viderer, tandem ego quidem quod potui feci: lector iudicet, an satisfeci. Quamquam etsi cui forte aut minime placeat, aut non sufficiat, non tamen interest mea, qui tuae pro meo sapere non defui voluntati.

I. Sermo exhortatorius ad milites Templi

I. Novum militiae genus ortum nuper auditur in terris, et in illa regione, quam olim in carne praesens *visitavit Oriens ex alto*, ut unde tunc *in fortitudine manus suae* tenebrarum principes exturbavit, inde et modo ipsorum satellites, *filios diffidentiae*, in manu fortium suorum dissipatos exterminet, *faciens etiam nunc redemptionem plebis suae, et rursus erigens cornu salutis nobis in domo David pueri sui.* Novum, inquam, militiae genus, et saeculis inexpertum, qua gemino pariter conflictu atque infatigabiliter decertatur, tum *adversus carnem et sanguinem*, tum *contra spiritualia nequitiae in caelestibus*. Et quidem ubi solis viribus corporis corporeo fortiter hosti resistitur, id quidem ego tam non iudico mirum, quam nec rarum existimo. Sed et quando animi virtute vitiis sive daemoniis bellum indicitur, ne hoc quidem mirabile, etsi laudabile dixerim, cum plenus monachis cernatur mundus.

Ceterum cum uterque homo suo quisque gladio potenter accingitur, suo cingulo nobiliter insignitur, quis hoc non aestimet omni admiratione dignissimum, quod

adeo liquet esse insolitum?

Impavidus profecto miles, et omni ex parte securus, qui ut corpus ferri, sic animum *fidei lorica induitur*. Utrisque nimirum munitus armis, nec daemonem timet, nec hominem. Nec vero mortem formidat, qui mori desiderat. Quid enim vel vivens, vel moriens metuat, *cui vivere Christus est, et mori lucrum?* Stat quidem fidenter libenterque pro Christo; sed magis *cupit dissolvi et esse cum Christo: hoc enim melius*.

Securi ergo procedite, milites, et intrepido animo *inimicos crucis Christi propellite, certi quia neque mors, neque vita poterunt vos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu*, illud sane vobiscum in omni periculo replicantes: *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*.

Quam gloriosi revertuntur victores de proelio! Quam beati moriuntur martyres in proelio! Gaude, fortis athleta, si vivis et vincis in Domino; sed magis exsulta et gloriare si moreris et iungeris Domino. Vita quidem fructuosa, et victoria gloriosa; sed utriusque mors sacra iure praeponitur. Nam si *beati qui in Domino moriuntur*, non multo magis qui pro Domino moriuntur?

2. Et quidem sive in lecto, sive in bello quis moritur, *pretiosa erit sine dubio in conspectu Domini mors sanctorum eius*. Ceterum in bello tanto profecto pretiosior, quanto et gloriosior. vita segura, ubi pura conscientia! O, inquam, vita segura, ubi absque formidine mors exspectatur, immo et exoptatur cum dulcedine, et excipitur cum devotione! O vere sancta et tuta militia, atque a duplici illo periculo prorsus libera, quo id hominum genus solet frequenter periclitari, ubi dumtaxat Christus non est causa militandi. Quoties namque congredieris tu, qui militiam militas saecularem, timendum omnino, ne aut occidas hostem quidem in corpore, te vero in anima aut forte tu occidaris ab illo, et in corpore simul, et in anima. Ex cordis nempe affectu, non belli eventu, pensatur vel periculum, vel victoria christiani. Si bona fuerit causa pugnantis, pugnae exitus malus esse non poterit, sicut nec bonus iudicabitur finis, ubi causa non bona, et intentio non recta praecesserit. Si in voluntate alterum occidendi te potius occidi contigerit, moreris homicida. Quod si praevaleres, et voluntate superandi vel vindicandi forte occidis hominem, vivis homicida. Non autem expedit sive mortuo, sine vivo, sive victori, sive victo, esse homicidam. Infelix victoria, qua superans hominem, succumbis vitio et, ira tibi aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato. Est tamen qui nec ulciscendi zelo, nec vincendi typho, sed tantum evadendi remedio interficit hominem. Sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam, cum de duobus malis, in corpore quam in anima mori levius sit. Non

autem quia corpus occiditur, etiam anima moritur; sed *anima, quae peccaverit, ipsa morietur.*

II. De militia saeculari

3. Quis igitur finis fructusve saecularis huius, non dico, militiae, sed malitiae, si et occisor letaliter peccat, et occisus aeternaliter perit? Enimvero, ut verbis utar Apostoli, et *qui arat, in spe debet arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Quis ergo, o milites, hic tam stupendus error, quis furor hic tam non ferendus, tantis sumptibus ac laboribus militare, stipendiis vero nullis, nisi aut mortis, aut criminis?

Operitis equos sericis, et pendulos nescio quos panniculos loricis superinduitis; depingitis hastas, clypeos et sellas; frena et calcaria auro et argento gemmisque circumornatis, et cum tanta pompa pudendo furore et impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt haec insignia, an muliebria potius ornamenta? Numquid forte hostilis mucro reverebitur aurum, gemmis parcat, serica penetrare non poterit?

Denique, quod ipsi saepius certiusque experimini, tria esse praecipue necessaria praelianti, ut scilicet strenuus industriusque miles et circumspectus sit ad se servandum, et expeditus ad discurrendum, et promptus ad ferendum; vos, per contrarium oculorum gravamen ritu femineo comam nutritis, longis ac profusis camisiis propria vobis vestigia obvolvitis, delicatas ac teneras manus amplis et circumfluentibus manicis sepelitis.

Super haec omnia est, quod armati conscientiam magis terret, causa illa nimirum satis levis ac frivola, qua videlicet talis praesumitur et tam periculosa militia. Non sane aliud inter vos bella movet litesque suscitatur, nisi aut irrationabilis iracundiae motus, aut inanis gloriae appetitus, aut terrenae qualiscumque possessionis cupiditas. Talibus certe ex causis neque occidere, neque occumbere tutum est.

III. De nova militia

4. At vero Christi milites securi praeliantur praelia Domini sui, nequaquam metuentes aut de hostium caede peccatum, aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, et nihil habeat criminis, et plurimum gloriae mereatur. Hinc quippe Christo, inde Christus acquiritur, qui nimirum et libenter

accipit hostis mortem pro ultione, et libentius praebet seipsum militi pro consolatione. Miles, inquam, Christi securus interimit, interit securior. Sibi praestat cum interit, Christo cum interimit. *Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

Sane cum occidit malefactorem, non homicida, sed, ut ita dixerim, malicida, et plane Christi *vindex in his qui male agunt*, et defensor christianorum reputatur. Cum autem occiditur ipse, non periisse, sed pervenisse cognoscitur.

Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum; quam excipit, suum. In morte pagani christianus gloriatur, quia Christus glorificatur; in morte christiani, Regis liberalitas aperitur, cum miles remunerandus educitur. Porro super illo *laetabitur iustus, cum viderit vindictam*. De isto *dicet homo: si utique est fructus iusto? Utique est Deus iudicans eos in terra.*

Non quidem vel pagani necandi essent, si quo modo aliter possent a nimia infestatione seu oppressione fidelium cohiberi. Nunc autem melius est ut occidantur, quam certe *relinquatur virga peccatorum super sortem iustorum, ne forte extendant iusti ad iniquitatem manus suas.*

5. Quid enim? *Si percutere in gladio omnino fas non est christiano, cur ergo praeco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit, et non potius omnem eis militiam interdixit? Si autem, quod verum est, omnibus fas est, ad hoc ipsum dumtaxat divinitus ordinatis, nec aliud sane quidquam melius professis, quibus, quaeso, potius quam quorum manibus et viribus *urbs fortitudinis nostrae Sion* pro nostro omnium munimine retinetur, ut depulsis divinae transgressoribus legis, *secura ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem?**

Secure proinde *dissipentur gentes quae bella volunt, et abscidantur qui nos conturbant, et disperdantur de civitate Domini omnes operantes iniquitatem*, qui repositas in Ierosolymis christiani populi inaestimabiles divitias tollere gestiunt, sancta polluere, et *hereditate possidere sanctuarium Dei*. Exseratur gladius uterque fidelium in cervices inimicorum, *ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*, quae est christianorum fides, *ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?*

6. Quibus expulsis revertetur ipse in hereditatem domumque suam, de qua iratus in Evangelio: *Ecce, inquit, relinquetur vobis domus vestra deserta*, et per Prophetam ita conqueritur: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, implebitque illud item propheticum: redemit Dominus populum suum et liberavit eum, et venient et exsultabunt in monte Sion, et gaudebunt de bonis Domini. Laetare, Ierusalem, et*

cognosce iam tempus visitationis tuae. Gaudete et laudate simul, deserta Ierusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium.

Virgo Israel, corrueras, et non erat qui sublevaret te. Surge, iam, excutere de pulvere, virgo, captiva filia Sion. Surge, inquam, et sta in excelso, et vide iucunditatem, quae venit tibi a Deo tuo. Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, quia complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Leva in circuitu oculos tuos et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Hoc tibi auxilium missum de sancto. Omnino per istos tibi iam iamque illa persolvitur antiqua promissio: Ponam te in superbiam saeculorum, gaudium in generatione et generationem, et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis; et item: Sicut mater consolatur filios suos, ita et ego consolabor vos, et in Ierusalem consolabimini. Videsne quam crebra veterum attestazione nova approbatur militia, et quod, sicut audivimus, sic videmus in civitate Domini virtutum? Dummodo sane spiritualibus non praeiudicet sensibus litteralis interpretatio, quominus scilicet speremus in aeternum, quidquid huic tempori significando ex Prophetarum vocibus usurpamus, ne per id quod cernitur evanescat quod creditur, et spei copias imminuat penuria rei, praesentium attestatio sit evacuatio futurorum. Alioquin terrenae civitatis temporalis gloria non destruit caelestia bona, sed astruit, si tamen istam minime dubitamus illius tenere figuram, quae in caelis est mater nostra.

IV. De conversatione militum Templi

7. Sed iam ad imitationem seu confusionem nostrorum militum, non plane Deo, sed diabolo militantium, dicamus breviter Christi equitum mores et vitam, qualiter bello domive conversentur, quo palam fiat, quantum ab invicem differant Dei saeculique militia.

Primo quidem utrolibet disciplina non deest, oboedientia nequaquam contemnitur, quia, teste Scriptura, et *filius indisciplinatus peribit, et peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.* Itur et reditur ad nutum eius qui praeest, induitur quod ille donaverit, nec aliunde vestimentum seu alimentum praesumitur. Et in victu et in vestitu cavetur omne superfluum, soli necessitati consulitur. Vivitur in communi, plane iucunda et sobria conversatione, absque uxoribus et absque liberis. Et ne quid desit ex evangelica perfectione, absque omni proprio habitant unius moris in domo una, *solliciti servare*

unitatem spiritus in vinculo pacis. Dicas universae multitudinis esse cor unum et animam unam: ita quisque non omnino propriam sequi voluntatem, sed magis obsequi satagit imperanti.

Nulla tempore aut otiosi sedent, aut curiosi vagantur; sed semper, dum non procedunt, - quod quidem raro contingit -, ne gratis comedant panem, armorum seu vestimentorum vel scissa resarciunt, vel vetusta reficiunt, vel inordinata componunt, et quaeque postremo facienda Magistri voluntas et communis indicit necessitas.

Persona inter eos minime accipitur: defertur meliori, non nobiliori. *Honore se invicem praeveniunt; alterutrum onera portant, ut sic adimpleant legem Christi.* Verbum insolens, opus inutile, risus immoderatus, murmur vel tenue, sive susurrium, nequaquam, ubi deprehenditur, inemendatum relinquitur. Scacos et aleas detestantur; abhorrent venationem, nec ludicra illa avium rapina, ut assolet, delectantur.

Mimos et magos et fabulatores, scurrilesque cantilenas, atque ludorum spectacula, tamquam vanitates et insanias falsas respuunt et abominantur. Capillos tondent, scientes, iuxta Apostolum, *ignominiam esse viro, si comam nutrierit.* Numquam compti, raro loti, magis autem neglecto crine hispidi, pulvere foedi, lorica et caumate fusci.

8. Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniunt, quatenus armati, et non ornati, hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes et veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe, non pompam, victoriam, sed non gloriam cogitantes, et studentes magis esse formidini quam admirationi.

Deinde non turbulenti aut impetuosi, et quasi ex levitate praecipites, sed consulte atque cum omni cautela et providentia seipsos ordinantes et disponentes in aciem, iuxta quod de patribus scriptum est. *Veri profecto Israelitae procedunt ad bella pacifici. At vero ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tamquam si dicerent: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?* Irruunt in adversarios, hostes velut oves reputant, nequaquam, etsi paucissimi, vel saevam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Noverunt siquidem non de suis praesumere viribus, sed de virtute Domini Sabaoth sperare victoriam, cui nimirum facile esse confidunt, iuxta sententiam Macchabaei, *concludi multos in manus paucorum, et non esse differentiam in conspectu Dei caeli liberare in multis, et in paucis, quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de caelo fortitudo est.* Quod et frequentissime experti sunt, ita ut plerumque quasi *persecutus sit unus mille, et duo fugarint decem millia.*

Ita denique miro quodam ac singulari modo cernuntur et agnis mitiores, et leonibus ferociore, ut pene dubitem quid potius censeam appellandos, monachos videlicet an milites, nisi quod utrumque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quod a *Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?*

Tales sibi delegit Deus, et collegit a finibus terrae ministros *ex fortissimis Israel, qui veri lectulum Salomonis sepulcrum vigilanter fideliterque custodiant, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi.*

V. De Templo

9. Est vero templum Ierosolymis, in quo pariter habitat, antiquo et famosissimo illi Salomonis impar quidem structura, sed non inferius gloria. Siquidem universa illius magnificentia in *corruptilibus auto et argento*, in quadratura lapidum et varietate lignorum continebatur; huius autem omnis decor et gratae venustatis ornatus, pia est habitantium religiositas et ordinatissima conversatio. Illud variis exstitit spectandum coloribus; hoc diversis virtutibus et sanctis actibus venerandum: *domum* quippe Dei *debet sanctitudo*, qui non tam politis marmoribus quam ornatis moribus delectatur, et puras diligit mentes super auratos parietes.

Ornatur tamen huius quoque facies templi, sed armis, non gemmis, et pro antiquis coronis aureis, circumpendentibus clypeis paries operitur; pro candelabris, thuribulis atque urceolis, domus undique frenis, sellis ac lanceis communitur.

Plane his omnibus liquido demonstrantibus eodem pro domo Dei fervere milites zelo, quo ipse quondam militum Dux, vehementissime inflammatus, armata illa sanctissima manu, non tamen ferro, sed flagello, quod fecerat de resticulis, introivit in templum, negotiantes expulit, nummulariorum effudit aes et cathedras vendentium columbas evertit, indignissimum iudicans orationis domum huiuscemodi forensibus incestari.

Talis proinde sui Regis permotus exemplo devotus exercitus, multo sane indignius longeque intolerabilius arbitrans sancta pollui ab infidelibus quam a mercatoribus infestari, in domo sancta cum equis et armis commoratur, tamque ab ipsa quam a ceteris sacris omni infidelitatis spurca et tyrannica rabie propulsata, ipsi in ea die noctuque

tam honestis quam utilibus officiis occupantur. Honorant certatim Dei templum sedulis et sinceris obsequiis, iugi in eo devotione immolantes, non quidem veterum ritu pecudum carnes, sed vere hostias pacificas, fraternam dilectionem, devotam subiectionem, voluntariam paupertatem.

10. Haec Ierosolymis actitantur, et orbis excitatur.

Audiunt insulae, et attendunt populi de longe, et ebulliunt ab Oriente et Occidente, tamquam torrens inundans gloriae gentium et tamquam fluminis impetus laetificans civitatem Dei.

Quodque cernitur iucundius et agitur commodius, paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere, nisi utique sceleratos et impios, raptores et sacrilegos, homicidas, periuros atque adulteros, de quorum profecto profectio, sicut duplex quoddam constat provenire bonum, ita duplicatur et gaudium, quandoquidem tam suos de suo discessu laetificant, quam illos de adventu quibus subvenire festinant.

Prosunt quippe utrobique, non solum utique istos tuendo, sed etiam illos iam non opprimendo. Itaque *laetatur Aegyptus in profectioe eorum; cum tamen de protectione eorum nihilominus laetetur mons Sion et exsultent filiae Iudae.* Illa quidem se de manu eorum, ista magis in manu eorum liberari se merito gloriatur. Illa libenter amittit crudelissimos sui vastatores, ista cum gaudio suscipit sui fidelissimos defensores, et unde ista dulcissime consolatur, inde illa aeque saluberrime desolatur.

Sic Christus, sic novit *ulcisci in hostes suos*, ut non solum de ipsis, sed per ipsos quoque frequenter soleat tanto gloriosius, quanto et potentius triumphare. Iucunde sane et commode, ut quos diu pertulit oppugnatores, magis iam propugnatores habere incipiat, faciatque de hoste militem, qui de Saulo quondam persecutore fecit Paulum praedicatorem. Quamobrem non minor, si etiam superna illa curia, iuxta testimonium Salvatoris, exsultat magis super uno peccatore paenitentiam agente, quam super plurimis iustis qui non indigent paenitentia, dum peccatoris et maligni tantis procul dubio prosit conversio, quantis et prior nocuerat conversatio.

11. Salve igitur civitas sancta, quam ipse *sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus*, quo tanta in te et per te generatio salvaretur. Salve *civitas Regis magni*, ex qua nova et iucunda mundo miracula nullis paene ab initio defuere temporibus. Salve *domina gentium, princeps provinciarum*, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater et Apostolorum, initiatrix fidei, gloria populi christiani, quam Deus semper a principio propterea passus est oppugnari, ut viris

fortibus sicut virtutis ita fores occasio et salutis.

Salve *terra* promissionis, quae olim *fluens lac et mel* tuis dumtaxat habitatoribus, nunc universo orbi remedia salutis, vitae porrigis alimenta. Terra, inquam, bona et optima, quae in fecundissimo illo sinu tuo ex arca paterni cordis caeleste granum suscipiens, tantas ex superno semine martyrum segetes protulisti, et nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructum fertilis gleba tricesimum, et sexagesimum, et centesimum, super omnem terram multipliciter procreasti.

Unde et de *magna multitudine dulcedinis tuae* iucundissime satiati et opulentissime saginati, *memoriam abundantiae suavitatis tuae* ubique *eructuant* qui te viderunt, et *usque ad extremum terrae magnificentiam gloriae tuae loquuntur* eis qui te non viderunt, et *enarrant mirabilia* quae in te fiunt.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Sed iam ex his quibus *affluis deliciis*, nos quoque pauca proferamus in medium, ad laudem et gloriam nominis tui.

VI. De Bethleem

12. Habes ante omnia *in refectioe animarum sanctarum* Bethleem domum panis, in qua primum is qui *de caelo descenderat*, pariente Virgine, *panis vivus* apparuit. Monstratur piis ibidem iumentis praesepium, et in praesepio fenum de prato virginali, quo vel si *cognoscat bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui.* Omnis quippe *caro fenum, et omnis gloria eius ut flos feni.* Porro homo quia suum, in quo factus est, *honorem non intelligendo, comparatus est iumentis insipientibus* et similis factus est illis, Verbum panis angelorum factum est cibaria iumentorum, ut habeat carnis fenum quod ruminet, qui verbi pane vesci penitus dissuevit, quousque per hominem Deum priori redditus dignitati, et ex pecore rursus conversus in hominem, cum Paulo dicere possit: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non novimus.*

Quod sane non arbitror quempiam dicere posse veraciter, nisi qui prius cum Petro ex ore Veritatis illud item audierit: *Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt; caro autem non prodest quidquam.*

Alioquin qui in verbis Christi vitam invenit, carnem iam non requirit, et est de numero *beatorum, qui non viderunt et crediderunt.* Nec enim opus est vel lactis poculum, nisi utique parvulo, vel feni pabulum, nisi utique iumento. *Qui autem non offendit in verbo, ille perfectus est vir, solido plane vesci cibo idoneus, et, licet in sudore vultus sui, panem verbi*

comedit absque offensione. Sed et securus ac sine scandalo loquitur Dei sapientiam dumtaxat inter perfectos, *spiritualibus spiritualia comparans*, cum tamen infantibus sive pecoribus cautus sit pro captu quidem eorum proponere tantummodo *Iesum, et hunc crucifixum*. Unus tamen idemque cibus ex caelestibus pascuis suaviter quidem et ruminatur a pecore, et manducatur ab homine, et viro vires, et parvulo tribuit nutrimentum.

VII. De Nazareth

13. Cernitur et Nazareth, quae interpretatur flos, in qua is qui natus in Bethleem erat, tamquam fructus in flore coalescens, nutritus est Deus infans, ut floris odor fructus saporem praecederet, ac de naribus Prophetarum faucibus se Apostolorum liquor sanctus infunderet, Iudaeisque tenui odore contentis, gustu solido reficeret christianos. Senserat tamen hunc florem Nathanael, quod *super omnia aromata* suave redoleret. Unde et aiebat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed nequaquam sola contentus fragrantia, respondentem sibi: *Veni et vide*, Philippum secutus est. Immo vero mirae illius suavitatis admodum respersione delectatus, haustuque boni odoris factus saporis avidior, odore ipso duce, ad fructum usque sine mora pervenire curavit, cupiens plenius experiri quod tenuiter praesenserat, praesensque degustare quod odoraverat absens.

Videamus et de olfactu Isaac, ne forte aliquid, quod pertineat ad haec ipsa quae in manibus sunt, portenderit. Loquitur de illo Scriptura sic: *Statimque ut sensit vestimentorum eius fragrantiam* - haud dubium quin Iacob -: *Ecce, inquit, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Vestimenti fragrantiam sensit, sed vestiti praesentiam non agnovit, soloque vestis, tamquam floris odore, forinsecus delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum et electi filii simul et sacramenti fraudatus cognitione remansit.

Quo spectat hoc? Vestimentum profecto spiritus, littera est et caro Verbi. Sed ne nunc quidem Judaeus in carne Verbum, in homine scit deitatem, nec sub tegmine litterae sensum pervidet spiritualem, forisque palpans hoedi pellem, quae similitudinem maioris, hoc est primi et antiqui peccatoris, expresserat, ad nudam non pervenit veritatem. Non sane *in carne* peccati, sed *in similitudine carnis peccati, qui peccatum non facere*, sed tollere veniebat, apparuit, ea scilicet de causa, quam ipse non tacuit, *ut qui*

non vident videant, et qui vident caeci fiant.

Hac ergo similitudine deceptus Propheta, caecus hodieque, quem nescit benedicit, dum quem lectitat in libris, ignorat et in miraculis, et quem propriis attrectat manibus, ligando, flagellando, colaphizando, minime tamen vel resurgentem intelligit. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.*

Percurramus succincto sermone et cetera loca sancta, et si non omnia, saltem aliqua, quoniam quae digne admirari per singula non sufficimus, libet vel insigniora, et ipsa breviter recordari.

VIII. De monte Oliveti et valle Iosaphat

14. Ascenditur in montem Oliveti, descenditur in vallem Iosaphat, ut sic divitias divinae misericordiae cogites, quatenus horrorem iudicii nequaquam dissimules, quia etsi *in multis miserationibus suis* multus est ad ignoscendum, *iudicia* tamen eius nihilominus *abyssus multa*, quibus agnoscitur valde omnino *terribilis super filios hominum*.

David denique qui montem Oliveti demonstrat, dicens: *Homines et iumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus*, etiam iudicii vallem in eodem Psalmo commemorat: *Non veniat*, inquit, *mihi pes superbiae, et manu peccatoris non moveat me*, cuius et praecipitium se omnino perhorrescere fatetur, cum in alio Psalmo ita loquitur, orans: *Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui*.

Superbus in hanc vallem corruit, et conquassatur; humilis descendit, et minime periclitatur. Superbus excusat peccatum suum, humilis accusat, sciens quia *Deus non iudicat bis in idipsum*, et *quod si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur*.

15. Porro superbus non attendens quam *horrendum sit incidere in manus Dei viventis*, facile prorumpit *in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis*. Magna revera malitia, tui te non misereri, et solum post peccatum remedium confessionis a te ipso repellere, ignemque in sinu tuo involvere potius quam excutere, nec praebere aurem consilio Sapientis qui ait: *Miserere animae tuae placens Deo*. Proinde *qui sibi nequam, cui bonus? Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eicietur foras*, hoc est de corde tuo, si te tamen ipse humiliando diiudicas. Erit iudicium caeli, quando ipsum *vocabitur caelum*

desursum et terra discernere populum suum, in quo sane timendum, ne proiciaris tu cum ipso et angelis eius, si tamen inventus fueris iniudicatus. Alioquin spiritualis homo, qui omnia diiudicat, ipse a nemine iudicabitur. Propter hoc ergo iudicium incipit a domo Dei, ut suos, quos novit iudex, cum venerit, inveniat iudicatos, et iam de illis nil habeat tunc iudicare, quando videlicet iudicandi sunt hi qui in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur.

IX. De Iordane

16. Quam laeto sinu Iordanis suscipit christianos, qui se Christi gloriatur consecratum baptismate! Mentitus est plane Syrus ille leprosus, qui nescio quas Damasci aquas aquis praetulit Israelis, cum Iordanis nostri devotus Deo famulatus toties probatus exstiterit, sive quando Eliae, sive quando Elisaeo, sive etiam, ut antiquius aliquid recolam, quando Iosue et omni populo simul impetum mirabiliter inhibens, siccum in se transitum praebuit. Denique quid in fluminibus isto eminentius, quod ipsa sibi Trinitas sui quadam evidenti praesentia dedicavit? Pater auditus, visus Spiritus Sanctus, Filius est et baptizatus. Merito proinde ipsam eius virtutem, quam Naaman ille consulente Propheta sensit in corpore, inbente Christo universus quoque fidelis populus in anima experitur.

X. De loco Calvariae

17. *Exitur etiam in Calvariae locum, ubi verus Elisaeus ab insensatis pueris irrisus, risum suis insinuavit aeternum, de quibus ait: Ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit Deus. Boni pueri, quos per contrarium illorum malignantium ad laudem excitat Psalmista, dicens: Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini, quatenus in ore sanctorum infantium et lactentium perficeretur laus, quae ex ore defecerat invidorum, eorum utique, de quibus queritur ita: Filios enutrivit et exaltavit; ipsi autem spreverunt me.* Ascendit itaque crucem calvus noster, mundo pro mundo expositus et, *revelata facie ac discooperta fronte, purgationem peccatorum faciens, probrosae et austerae mortis tam non erubuit ignominiam quam nec poenam exhorruit, ut nos opprobrio sempiterno eriperet, restitueret gloriae. Nec mirum: quid enim erubesceret, qui ita lavit nos a peccatis, non quidem ut aqua diluens et retinens sordes, sed*

veluti solis radius desiccans et retinens puritatem? Est quippe *Dei sapientia ubique attingens propter munditiam suam.*

XI. De Sepulcro

18. Inter sancta ac desiderabilia loca sepulcrum tenet quodammodo principatum, et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens *conversatus est*, atque amplius movet ad pietatem mortis quam vitae recordatio. Puro quod illa austerior, haec dulcior videatur, magisque infirmitati blandiatur humanae quies dormitionis quam labor conversationis, mortis securitas quam vitae rectitudo.

Vita Christi vivendi mihi regula exstitit, mors a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Vita quidem laboriosa, sed *mors pretiosa*; utraque vero admodum necessaria.

Quid enim Christi prodesse poterat, sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti? Numquid denique aut mors Christi etiam nunc male usque ad mortem viventes a morte aeterna liberat, aut mortuos ante Christum sanctos Patres vitae sanctitas liberavit, sicut scriptum est: *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?*

Nunc ergo quia utrumque nobis pariter necessarium erat, et pie vivere, et secure mori, et vivendo vivere docuit, et mortem moriendo securam reddidit, quoniam quidem resurrecturus occubuit, et spem fecit morientibus resurgendi. Sed addidit et tertium beneficium, cum etiam peccata donavit, sine quo utique cetera non valebant. Quid enim - quantum quidem ad veram summamque beatitudinem spectat - quantalibet vitae rectitudo seu longitudo prodesse poterat illi, qui vel solo originali peccato teneretur adstrictus? Peccatum quippe praecessit, ut sequeretur mors, quod sane si cavisset homo, *mortem non gustasset in aeternum.*

19. Peccando itaque vitam amisit et mortem invenit, quoniam quidem et Deus ita praedixerat, et iustum profecto erat, ut si peccaret homo, moreretur. Quid namque iustius poterat quam recipere talionem? Vita siquidem Deus animae est, ipsa corporis. Peccando voluntarie, volens perdidit vivere; nolens perdat et vivificare. Sponte repulit vitam cum vivere noluit; non valeat eam dare cui vel quatenus voluerit. Noluit regi a Deo; non queat regere

corpus. Si non paret superiori, inferiori cur imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam; inveniatur anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventus est homo divinae legis; *inveniat et ipse aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suae, et captivantem se in legem peccati*. Porro *peccatum*, ut scriptum est, *separat inter nos et Deum*; separat proinde etiam mors inter corpus nostrum et nos. Non potuit dividi a Deo anima nisi peccando, nec corpus ab ipsa nisi moriendo. Quid itaque austerius pertulit in ultione, id solum passa a subdito, quod praesumpserat in auctorem? Nihil profecto congruentius, quam ut mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis poenalem, voluntaria necessariam.

20. Cum ergo hac gemina morte secundum utramque naturam homo damnatus fuisset, altera quidem spirituali et voluntaria, altera corporali et necessaria, utrique Deus homo una sua corporali ac voluntaria benigne et potenter occurrit, illaque una sua nostram utramque damnavit. Merito quidem: nam ex duabus mortibus nostris, cum altera nobis in culpae meritum, altera in poenae debitum reputaretur, suscipiens poenam et nesciens culpam, dum sponte et tantum in corpore moritur, et vitam nobis et iustitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non solvisset; si non voluntarie moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem si, ut dictum est, mortis meritum est peccatum et peccati debitum mors, Christo remittente peccatum et moriente pro peccatoribus, profecto iam nullum est meritum, et solutum est debitum.

21. Ceterum unde scimus, quod Christus possit peccata dimittere? Hinc procul dubio, quia Deus est, et quidquid vult potest. Unde autem et quod Deus sit? Miracula probant: *facit quippe opera, quae nemo alius facere possit*, ut taceam oracula Prophetarum, nec non et *paternae vocis testimonium elapsae caelitus ad ipsum a magnifica gloria*. Quod *si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* Si ipse est et non alius, cui quotidie confitemur dicentes: *Tibi soli peccavi*, quis melius, immo quis alius remittere potest quod in eum peccatum est? Aut quomodo ipse non potest, qui omnia potest? Denique ego, quod in me delinquitur, valeo, si volo, donare, et Deus non queat in se commissa remittere? Si ergo peccata remittere et possit omnipotens, et solus possit, cui soli peccatur, *beatus profecto, cui non imputabit ipse peccatum*. Itaque cognovimus quod peccata Christus divinitatis suae potentia valuit relaxare.

22. Porro iam de voluntate quis dubitet? Qui enim

nostram et induit carnem, et subiit mortem, putas suam nobis negabit iustitiam? Voluntarie incarnatus, voluntarie passus, voluntarie crucifixus, solam a nobis retinebit iustitiam? Quod ergo ex deitate constat illum potuisse, ex humanitate innotuit et voluisse.

Sed unde rursum confidimus quod et mortem abstulit? Hinc plane quod eam ipse, qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur a nobis quod pro nobis ille iam solvit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando iustitiam, ipse mortis debitum solvit et reddidit vitam. Sic namque mortua morte revertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit iustitia. Porro mors in Christi morte fugatur et Christi nobis iustitia imputatur.

Verum quomodo mori potuit qui Deus erat? Quoniam nimirum et homo erat. Sed quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia et iustus erat. Profecto namque cum homo esset, potuit mori; cum iustus, debuit non gratis.

Non quidem peccator mortis sufficit solvere debitum pro altero peccatore, cum quisque moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet, numquid pro alio frustra debet? Quanto sane indignius moritur qui mortem non meruit, tanto is iustius, pro quo moritur, vivit.

23. «Sed quae», inquis, «iustitia est, ut innocens pro impio moriatur?» Non est iustitia, sed misericordia. Si iustitia esset, iam non gratis, sed ex debito moreretur. Si ex debito, ipse quidem moreretur, sed is pro quo moreretur non viveret. At vero si iustitia non est, non tamen contra iustitiam est; alioquin et iustus et misericors simul esse non posset.

«Sed etsi iustus non iniuste pro peccatore satisfacere valeat, quo tamen pacto etiam unus pro pluribus? Etenim satis esse videretur ad iustitiam, si unus uni moriens vitam restituat.»

Huic iam respondeat Apostolus: *Sicut enim, inquit, per unius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut enim per inoboedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis oboedientiam iusti constituentur multi.*

Sed forte unus pluribus iustitiam quidem restituere potuit, vitam non potuit? *Per unum, ait, hominem mors, et per unum hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quid enim? Unus peccavit, et omnes tenentur rei, et unius innocentia soli reputabitur innocenti? Unius peccatum omnibus operatum est mortem, et unius iustitia uni vitam restituet? Itane Dei iustitia magis ad condemnandum quam ad restaurandum valuit? Aut plus potuit Adam in malo quam in bono Christus? Adae

peccatum imputabitur mihi, et Christi iustitia non pertinebit ad me? Illius me inoboedientia perdidit, et huius oboedientia non proderit mihi?

24. «Sed Adae», inquis, «delictum merito omnes contrahimus, *in quo quippe omnes peccavimus*, quoniam cum peccavit, in ipso eramus, et ex eius carne per carnis concupiscentiam geniti sumus.»

Atqui ex Deo multo germanius secundum spiritum nascimur, quam secundum carnem ex Adam, secundum quem etiam spiritum *longe ante fuimus in Christo* quam secundum carnem in Adam, si tamen et nos inter illos numerari confidimus, de quibus Apostolus: *Qui elegit nos*, inquit, *in ipso* - haud dubium quin Pater in Filio – *ante mundi constitutionem*.

Quod autem etiam ex Deo nati sunt, testatur evangelista Ioannes, ubi ait: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*; item ipse in epistola: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio caelestis conservat eum*.

«At carnis traducem», ais, «carnalis testatur concupiscentia, et peccatum, quod in carne sentimus, manifeste probat quod secundum carnem de carne peccatoris descendimus.»

Sed enim nihilominus spiritualis illa generatio, non quidem in carne, sed in corde sentitur, ab his dumtaxat qui cum Paulo dicere possunt: *Nos autem sensum Christi habemus*, in quo et eatenus profecisse se sentiunt, ut et ipsi cum omni fiducia dicant: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei*, et illud: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Per Spiritum ergo qui ex Deo est, caritas diffusa est in cordibus nostris*, sicut et per carnem, quae est ex Adam, manet concupiscentia nostris insita membris. Et quomodo ista quae a progenitore corporum descendit, numquam in hac vita mortali a carne recedit, sic illa procedens ex Patre spirituum, ab intentione filiorum, dumtaxat perfectorum, *numquam excidit*.

25. Si ergo ex Deo nati et in Christo electi sumus, quaenam iustitia est, ut plus noceat humana atque terrena quam valeat divina caelestisque generatio, Dei electionem vincat carnalis successio, et aeterno eius proposito carnis praescribat temporaliter traducta concupiscentia?

Quinimmo, si per unum hominem mors, cur non multo magis per unum, et illum hominem, vita? Et si *omnes in Adam morimur*, cur non longe potentius *in Christo omnes vivificabimur*?

Denique *non sicut delictum, ita et donum; nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in*

iustificationem.

Christus igitur et peccata remittere potuit, cum Deus sit, et mori, cum sit homo, et mortis moriendo solvere debitum, quia iustus, et omnibus unus ad iustitiam vitamque sufficere, quandoquidem et peccatum, et mors ex uno in omnes processerit.

26. Sed hoc quoque necessarie omnino provisum est, quod dilata morte homo inter homines dignatus est aliquamdiu conversari, quatenus crebris et veris locutionibus ad invisibilia excitaret, miris operibus adstrueret fidem, rectis mores instrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo *sobrie, et iuste, et pie* conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo iam nobis defuit ad salutem? Accedat et gratia remissionis peccatorum, hoc est ut gratis peccata dimittat, et opus profecto nostrae salutis *consummatum est.*

Non autem metuendum, quod donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo, et tanta passo pro peccatoribus desit, si tamen solliciti inveniamur digne, ut oportet, et imitari exempla, et venerari miracula, doctrinae quoque non existamus increduli, et passionibus non ingrati.

27. Itaque totum nobis de Christo valuit, totum salutiferum, totumque necessarium fuit, nec minus profuit infirmitas quam et maiestas, quia, etsi ex deitatis potentia peccati iugum iubendo submovit, ex carnis tamen infirmitate mortis iura moriendo concussit. Unde pulchre ait Apostolus: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Sed et illa eius *stultitia, per quam ei placuit salvum facere mundum, ut mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes,* quod videlicet, *cum in forma Dei esset, Deo aequalis semetipsum exinanivit formam servi accipiens, quod, dives cum esset, propter nos egenus factus est, de magno parvus, de celso humilis, infirmus de potente, quod esuriit, quod sitiit, quod fatigatus est in itinere, et cetera quae passus est voluntate, non necessitate, haec ergo ipsius quaedam stultitia, nonne fuit nobis via prudentiae, iustitiae forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc item Apostolus: *Quod stultum est, inquit, Dei sapientius est hominibus.* Mors igitur a morte, vita ab errore, a peccato gratia liberavit. Et quidem mors per iustitiam suam peregit victoriam, quia iustus, *exsolvendo quae non rapuit, iure omnino, quod amiserat, recepit.* Vita vero, quod ad se pertinuit, per sapientiam adimplevit, quae nobis vitae et disciplinae documentum ac speculum exstitit. Porro gratia ex illa, ut dictum est, potestate peccata remisit, qua *omnia, quaecumque voluit, fecit.**

Mors itaque Christi, mors est meae mortis, quia ille

mortuus est, ut ego viverem. Quo pacto enim iam non vivat, pro quo moritur Vita? Aut quis iam in via morum seu rerum notitia errare timebit, duce Sapientia? Aut unde iam reus tenebitur, quem absolvit Iustitia?

Vitam quidem se ipse perhibet in Evangelio: *Ego sum*, inquit, *vita*. Porro duo sequentia testatur Apostolus, dicens: *Qui factus est nobis iustitia et sapientia a Deo Patre*.

28. Si ergo, *lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit nos a lege peccati et mortis*, ut quid adhuc morimur, et non statim immortalitate vestimur? Sane ut Dei veritas impleatur.

Quia enim misericordiam et veritatem diligit Deus, necesse est mori quidem hominem, quippe quod praedixerat Deus, sed a morte tamen resurgere, ne *obliviscatur misereri Deus*.

Ita ergo mors, etsi non perpetuo dominatur, manet tamen *propter veritatem Dei* vel ad tempus in nobis, quemadmodum *peccatum*, etsi iam *non regnat in nostro mortali corpore*, non tamen deest penitus nobis. Proinde Paulus ex parte quidem *liberatum se a lege peccati et mortis* gloriatur, sed rursus se utraque nihilominus lege aliqua ex parte gravari conqueritur, sive cum adversus peccatum miserabiliter clamat: *Invenio aliam legem in membris meis, et cetera*, sive cum *ingemiscit gravatus*, haud dubium quin lege mortis, *redemptionem exspectans corporis sui*.

29. Sive itaque haec, sive alia quaecumque in hunc modum, prout in talibus *in suo quisque sensu abundat*, ex occasione sepulcri christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo devotionis infunditur quominus intuenti, nec parum proficitur cernendo, etiam corporalibus oculis, corporalem locum dominicae quietis. Etsi quippe iam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris et iucundis admodum sacramentis. Nostris, inquam, nostris, si tamen tam ardentem amplectimur quam, indubitanter tenemus quod Apostolus ait: *Consepulti enim sumus per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus*.

Quam dulce est peregrinis, post multam longi itineris fationem, post plurima terrae marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi et agnoscunt suum Dominum quievisse! Puto iam prae gaudio non sentiunt viae laborem nec gravamen reputant expensarum, sed tamquam laboris praemium cursusve bravium assecuti, iuxta Scripturae sententiam, *gaudent vehementer cum invenerint sepulcrum*.

Nec casu vel subito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen sepulcrum nactum esse putetur, cum hoc ipsum tantis retro temporibus Isaias tam aperte praedixerit: *Erit, inquit, in die illa radix Iesse, qui stat*

in signum populorum; ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum eius gloriosum. Revera ergo impletum cernimus quod legimus prophetarum, novum quidem intuenti, sed legenti antiquum, ut sic adsit de novitate iucunditas, ut de vetustate non desit auctoritas. Et de sepulcro ista sufficiant.

XII. De Bethphage

30. Quid de Bethphage dicam, viculo sacerdotum, quem pene praeterieram, ubi et confessionis sacramentum, et sacerdotalis ministerii mysterium continetur? Bethphage quippe domus buccae interpretatur. Scriptum est autem: *Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo.* Non in altero tantum, sed simul in utroque verbum habere memineris. Et quidem verbum in corde peccatoris operatur salutiferam contritionem, verbum vero in ore noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam confessionem. Ait enim Scriptura: *Est pudor, adducens peccatum, et est pudor adducens gloriam.* Bonus pudor, quo peccasse aut certe peccare confunderis, et omnis licet humanus arbiter forte absit, divinum tamen quam humanum tanto verecundius revereris aspectum, quanto et verius Deum quam hominem cogitas puriorem, tantoque eum gravius offendi a peccante, quanto constat longius ab illo esse omne peccatum. Huiusmodi procul dubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum aut peccatum omnino non admittit, aut certe admissum et paenitendo punit, et confitendo expellit, si tamen *gloria etiam nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Quod si quispiam confiteri confunditur id quoque, unde compungitur, talis pudor peccatum adducit, et gloriam de conscientia perdit, quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus, obstruso labiorum ostio, non permittit exire, cum eum exemplo David dicere potius oporteret: *Et labia mea non prohibebo: Domine, tu scisti.* Qui et seipsum redarguens, puto super huiusmodi stulto et irrationabili pudore: *Quoniam tacui, inquit, inveteraverunt ossa mea.* Unde et optat *ostium poni circumstantiae labiis suis,* ut oris ianuam et aperire confessioni, et defensionem claudere norit. Denique et aperte hoc ipsum orans petit a Domino, sciens nimirum qui *confessio et magnificentia opus eius.* Et quod videlicet nostram malitiam, et quod aequae divinae bonitatis et virtutis magnificentiam minime tacemus, magnum quidem geminae confessionis bonum, sed *Dei est donum.* Ait itaque: *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Quamobrem ministros verbi sacerdotes

caute necesse est ad utrumque vigilare sollicitos, quo videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris et contritionis infligant, quatenus eos nequaquam a verbo confessionis exterreant, sic corda aperiant, ut ora non obstruant, sed nec absolvant etiam compunctum, nisi viderint et confessum, quoniam quidem *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Alioquin *a mortuo, tamquam qui non est, perit confessio*. Quisquis igitur verbum in ore habet et in corde non habet, aut dolosus est, aut vanus; quisquis vero in corde et non in ore, aut superbus est, aut timidus.

XIII. De Bethania

31. Sane non omnino, etsi multum festinem, debeo transire silenter domum oboedientiae, Bethaniam videlicet, castellum Mariae et Marthae, in quo et Lazarus est resuscitatus, ubi nimirum et utriusque vitae figura, et Dei erga peccatores mira clementia, necnon et virtus oboedientiae una cum fructibus paenitentiae commendatur. Hoc ergo in loco breviter intimatum sufficiat, quod nec studium bonae actionis, nec otium sanctae contemplationis, nec lacrima paenitentis extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tanti habuit oboedientiam, ut vitam quam ipsam perdere maluerit, *factus oboediens Patri usque ad mortem*. Hae sunt illae profecto divitiae, quas sermo propheticus ex verbo Domini pollicetur: *Consolabitur, inquit, Dominus Sion, consolabitur omnes ruinas eius, et ponet desertum eius quasi delicias, et solitudinem eius quasi hortum Domini; gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis*. Hae igitur orbis deliciae, hic thesaurus caelestis, haec fidelium hereditas populorum, vestrae sunt, carissimi, credita fidei, vestrae prudentiae et fortitudini commendata. Tunc autem caeleste depositum secure et fideliter custodire sufficitis, si nequaquam de ipsa vestra vel prudentia, vel fortitudine, sed de Dei tantum adiutorio ubique praesumitis, scientes *quia non in fortitudine sua roborabitur vir*, et ideo dicentes cum Propheta: *Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus*, et illud: *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus; Deus meus, misericordia eius praeveniet me*, et item: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, ut in omnibus sit ipse *benedictus, qui docet manus vestras ad proelium et digitos vestros ad bellum*.